

## PERSE

## SATIRES (650 vers)

## CONTRE LA POESIE DU TEMPS

P\_1 v.1 O curas hominum ! O quantum est in rebus inane !  
 2 "Quis leget haec ? " Min tu istud ais ? Nemo hercule. "Nemo ? "  
 3 vel duo vel nemo. "Turpe et miserabile." Quare ?  
 4 Ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem  
 5 praetulerint ? Nugae. Non, si quid turbida Roma  
 6 elevet, accedas examenve inprobum in illa  
 7 castiges trutina nec te quaesiveris extra.  
 8 Nam Romae quis non hac, si fas dicere... sed fas ;  
 9 tum cum ad canitiem et nostrum istud vivere triste  
 10 aspexi ac nucibus facimus quaecumque relictis,  
 11 cum sapimus patruos tunc tunc.... ignoscite. "Nolo".  
 12 Quid faciam ?) Sed sum petulanti splene : cachinno.  
 13 Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber.  
 14 Grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet.  
 15 Scilicet haec populo pexusque togaque recenti  
 16 et natalicia tandem cum sardonyche albus  
 17 sede legens celsa, liquido cum plasmate guttur  
 18 mobile conlueris, patranti fractus ocello.  
 19 Tunc neque more probo videas nec voce serena  
 20 ingentis trepidare Titos, cum carmina lumbum  
 21 intrant et tremulo scalpuntur ubi intima versu.  
 22 Tun, vetule, auriculis alienis colligis escas,  
 23 articulis quibus et dicas cute perditus "Ohe ! " ?  
 24 "Quo didicisse, nisi hoc fermentum et quae semel intus  
 25 innata est rupto jecore exierit caprificus ? "  
 26 en pallor seniumque ! O mores ! Usque adeone  
 27 scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter ?  
 28 "At pulchrum est digito monstrari et dicier : "Hic est" ;  
 29 Ten cirratorum centum dictata fuisse  
 30 pro nihilo pendes ? " Ecce inter pocula quaerunt  
 31 Romulidae saturi, quid dia poemata narrent ;  
 32 hic aliquis, cui circum umeros hyacinthina laena est,  
 33 rancidulum quiddam balba de nare locutus  
 34 Phyllidas, Hypsipylas, vatium et plorabile siquid,  
 35 eliquat ac tenero subplantat verba palato.  
 36 Adsensere viri : nunc non cinis ille poetae  
 37 felix ? Non levior cippus nunc inprimit ossa ?  
 38 Laudant convivae : nunc non e manibus illis,  
 39 nunc non e tumulo fortunataque favilla  
 40 nascentur violae ? "Rides, ait, et nimis uncis  
 41 naribus indulges. An erit qui velle recuset  
 42 os populi meruisse et cedro digna locutus  
 43 linquere nec scombros metuentia carmina nec tus ? "  
 44 Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci,  
 45 non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit  
 46 - Quando hoc ? Rara avis est -, si quid tamen aptius exit,  
 47 laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra est ;  
 48 sed recti finemque extremumque esse recuso

49 "Euge" tuum et "Belle" ; nam "Belle" hoc excute totum :  
 50 quid non intus habet ? Non hic est Ilias Atti  
 51 ebria veratro, non siqua elegidia crudi  
 52 dictarunt proceres ? Non quidquid denique lectis  
 53 scribitur in citreis ? Calidum scis ponere sumen.  
 54 Scis comitem horridulum trita donare lacerna  
 55 et "Verum" inquis "amo, verum mihi dicite de me."  
 56 Qui pote ? Vis dicam : nugaris, cum tibi, calve,  
 57 pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.  
 58 O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit  
 59 nec manus auriculas imitari mobilis albas  
 60 nec linguae quantum sitiatur canis Apula tantae !  
 61 Vos, o patricius sanguis, quos vivere jus est  
 62 occipiti caeco, posticae occurrere sannae.  
 63 Quis populi sermo est ? "Quis enim, nisi carmina molli  
 64 nunc demum numero fluere, ut per leve severos  
 65 effundat junctura unguis ? Scit tendere versum  
 66 non secus ac si oculo rubricam derigat uno.  
 67 Sitne opus in mores, in luxum, in prandia regum  
 68 dicere, res grandes nostro dat Musa poetae."  
 69 Ecce modo heroas sensus adferre docemus  
 70 nugari solitos Graece, nec ponere lucum  
 71 artifices nec rus saturum laudare, ubi corbes  
 72 et focus et porci et fumosa Palilia faeno,  
 73 unde Remus sulcoque terens dentalia, Quinti,  
 74 cum trepida ante boves dictatorem induit uxor  
 75 et tua aratra domum lictor tulit. "Euge, poeta ;  
 76 "est nunc Brisaei quem venosus liber Acci,  
 77 sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur  
 78 Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta ? "  
 79 Hos pueris monitus patres infundere lippos  
 80 cum videas, quaerisne unde haec sartago loquendi  
 81 venerit in linguas, unde istud dedecus, in quo  
 82 trossulus exultat tibi per subsellia levis ?  
 83 Nilne pudet capiti non posse pericula cano  
 84 pellere, quin tepidum hoc optes audire : "Decenter" ?  
 85 "Fur es", ait Pedio. Pedius quid ? Crimina rasis  
 86 librat in antithetis, doctas posuisse figuras  
 87 laudatur : "Bellum hoc ! " Hoc bellum ? An, Romule, ceves ?  
 88 Men moveat ? Quippe, et cantet si naufragus, assem  
 89 protulerim ? Cantas, cum fracta te in trabe pictum  
 90 ex umero portas ? Verum nec nocte paratum  
 91 plorabit qui me volet incurvasse querella.  
 92 "Sed numeris decor est et junctura addita crudis.  
 93 Claudere sic versum didici : "Berecyntius Attis"  
 94 et "qui caeruleum dirimebat Nerea delphin",  
 95 sic : "costam longo subduximus Appennino."  
 96 "Arma virum", nonne hoc spumosum et cortice pingui.  
 97 Ut ramale vetus vegrandi subere coctum ? "  
 98 Quidnam igitur tenerum et laxa cervice legendum ?  
 99 "Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis  
 100 et raptum vitulo caput ablatum superbo  
 101 Bassaris et lyncem Maenas flexura corymbi  
 102 Euhion ingeminat ; reparabilis adsonat echo."  
 103 Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni  
 104 viveret in nobis ? Summa delumbe saliva  
 105 hoc natat in labris et in udo est Maenas et Attis  
 106 nec pluteum caedit nec demorsos sapit unguis.

107 "Sed quid opus teneras mordaci radere vero  
 108 auriculas ? Videsis ne majorum tibi forte  
 109 limina frigescant ; sonat hic de nare canina  
 110 littera." Per me equidem sint omnia protinus alba ;  
 111 nil moror ; euge omnes, omnes bene, mirae eritis res ;  
 112 hoc juvat; "Hic, inquis, veto quisquam faxit oletum."  
 113 Pinge duos anguis : "Pueri, sacer est locus, extra  
 114 meite." Discedo. Secuit Lucilius urbem,  
 115 te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis ;  
 116 omne vafer vitium ridenti Flaccus amico  
 117 tangit et admissus circum praecordia ludit  
 118 callidus excusso populum suspendere naso ;  
 119 me muttire nefas ? Nec clam ? Nec cum scrobe, nusquam ?  
 120 Hic tamen infodiam - vidi, vidi ipse, libelle - :  
 121 "Auriculas asini quis non habet ?" Hoc ego opertum,  
 122 hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo  
 123 Iliade. Audaci quicumque adflate Cratino  
 124 iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,  
 125 aspice et haec, si forte aliquid decoctius audis.  
 126 Inde vaporata lector mihi ferveat aure,  
 127 non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit  
 128 sordidus et lusco qui possit dicere : "lusce,"  
 129 seque aliquem credens Italo quod honore supinus  
 130 fregerit heminas Arreti aedilis iniquas,  
 131 nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas  
 132 scit risisse vafer, multum gaudere paratus,  
 133 si cynico barbam petulans nonaria vellat ;  
 134 his mane edictum, post prandia Callirhoen do.

#### SUR LA VERITABLE RELIGION

P\_2 v.1 Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,  
 2 qui tibi labentis apponet candidus annos ;  
 3 funde merum genio. Non tu prece poscis emaci  
 4 quae nisi seductis nequeas committere divis.  
 5 At bona pars procerum tacita libabit acerra ;  
 6 haut cuivis promptum est murmurque humilisque susurros  
 7 tollere de templis et aperto vivere voto.  
 8 "Mens bona, fama, fides", haec clare et ut audiat hospes,  
 9 illa sibi introrsum et sub lingua murmurat : "O si  
 10 ebullit patruus, praeclarum funus ! " et "O si  
 11 sub rastro crepet argenti mihi seria dextro  
 12 Hercule ! Pupillumve utinam, quem proximus heres  
 13 inpello, expungam ; nam et est scabiosus et acri  
 14 bile tumet. Nerio jam tertia conditur uxor."  
 15 Haec sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis  
 16 mane caput bis terque et noctem flumine purgas.  
 17 Heus age, responde (minimum est quod scire laboro) :  
 18 de Jove quid sentis ? Estne ut praeponere cures  
 19 hunc... "Cuinam ?" Cuinam ? Vis Staio ? An scilicet haeres ?  
 20 Quis potior iudex puerisve quis aptior orbis ?  
 21 Hoc igitur quo tu Jovis aurem impellere temptas  
 22 dic agedum Staio : "Pro Juppiter ! O bone, clamet,  
 23 Juppiter ! " At sese non clamet Juppiter ipse ?  
 24 Ignovisse putas quia, cum tonat, ocus illex  
 25 sulphure discutitur sacro quam tuque domusque ?

26 An quia non fibris ovium Ergennaque jubente  
 27 triste jaces lucis evitandumque bidental,  
 28 idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam  
 29 Juppiter ? Aut quidnam est qua tu mercede deorum  
 30 emeris auriculas ? pulmone et lactibus unctis ?  
 31 Ecce avia aut metuens divum matertera cunis  
 32 exemit puerum frontemque atque uda labella  
 33 infami digito et lustralibus ante salivis  
 34 expiat, urentis oculos inhibere perita ;  
 35 tunc manibus quatit et spem macram supplice voto  
 36 nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedis :  
 37 "Hunc optet generum rex et regina, puellae  
 38 hunc rapiant ; quidquid calcaverit hic rosa fiat."  
 39 Ast ego nutrici non mando vota ; negato,  
 40 Juppiter, haec illi, quamvis te albata rogarit.  
 41 Poscis opem nervis corpusque fidele senectae ;  
 42 Esto age. Sed grandes patinae tucsetaque crassa  
 43 adnuere his superos vetuere Jovemque morantur.  
 44 Rem struere exoptas caeso bove Mercuriumque  
 45 arcessis fibra : "Da fortunare penatis,  
 46 da pecus et gregibus fetum." Quo, pessime, pacto,  
 47 tot tibi cum in flamma junicum omenta liquescant ?  
 48 Et tamen hic extis et opimo vincere fertio  
 49 intendit : "Jam crescit ager, jam crescit ovile,  
 50 jam dabitur, jam jam...", donec deceptus et exspes  
 51 nequiquam fundo suspiret nummus in imo.  
 52 Si tibi crateras argenti incusaque pingui  
 53 auro dona feram, sudas et pectore laevo  
 54 excutiat guttas laetari praetrepidum cor.  
 55 Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato  
 56 perducis facies : "Nam fratres inter aenos,  
 57 somnia pituita qui purgatissima mittunt  
 58 praecipui sunt sitque illis aurea barba."  
 59 Aurum vasa Numae Saturniaque inpulit aera  
 60 Vestalesque urnas et Tuscum fictile mutat.  
 61 O curvae in terris animae et caelestium inanes,  
 62 quid juvat hoc, templis nostros inmittere mores  
 63 et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa ?  
 64 Haec sibi corrupto casiam dissolvit olivo  
 65 haec Calabrum coxit vitiato murice vellus,  
 66 haec bacam conchae rasisse et stringere venas  
 67 ferventis massae crudo de pulvere jussit ;  
 68 peccat et haec, peccat, vitio tamen utitur : at - vos  
 69 dicite, pontifices - in sancto quid facit aurum ?  
 70 Nempe hoc quod Veneri donatae a virgine pupae.  
 71 Quin damus id superis, de magna quod dare lance  
 72 non possit magni Messalae lippa propago :  
 73 compositum jus fasque animo sanctosque recessus  
 74 mentis et incoctum generoso pectus honesto ?  
 75 Haec cedo ut admoveam templis et farre litabo.

#### CONTRE LA PARESSE

P\_3 v.1 "Nempe haec adsidue ? Jam clarum mane fenestras  
 2 intrat et angustas extendit lumine rimas ;  
 3 stertimus, indomitum quod despumare Falernum

4 sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.  
5 En quid agis ? Siccas insana canicula messes  
6 jamdudum coquit et patula pecus omne sub ulmo est"  
7 unus ait comitum. "Verumne ? Itan ? Ocius adsit  
8 huc aliquis. Nemon ? Turgescit vitrea bilis,  
9 findor ut..." Arcadiae pecuaria rudere credas.  
10 Jam liber et positus bicolor membrana capillis  
11 inque manus chartae nodosaque venit harundo :  
12 tunc querimur, crassus calamo quod pendeat umor :  
13 nigra sed infusa vanescit sepia lympha :  
14 dilutas querimur geminet quod fistula guttas.  
15 O miser inque dies ultra miser, hucine rerum  
16 venimus ? Aut cur non potius teneroque columbo  
17 et similis regum pueris pappare minutum  
18 poscis et iratus mammae lallare recusas ?  
19 "An tali studeam calamo ?" Cui verba ? Quid istas  
20 succinis ambages ? Tibi luditur. Effluis amens,  
21 contemnere : sonat vitium percussa, maligne  
22 respondet viridi non cocta fidelia limo.  
23 Udum et molle lutum es, nunc nunc properandus et acri  
24 fingendus sine fine rota. Sed rure paterno  
25 est tibi far modicum, purum et sine labe salinum  
26 (quid metuas ?) cultrixque focisecura patella est.  
27 Hoc satis ? An deceat pulmonem rumpere ventis,  
28 stemmate quod Tusco ramum millesime ducis  
29 censoremve tuum vel quod trabeate salutis ?  
30 Ad populum phaleras. Ego te intus et in cute novi :  
31 non pudet ad morem discincti vivere Nattae ;  
32 sed stupet hic vitio et fibris increvit opimum  
33 pingue, caret culpa, nescit quid perdat et alto  
34 demersus summa rursus non bullit in unda.  
35 Magne pater divum, saevos punire tyrannos  
36 haut alia ratione velis, cum dira libido  
37 moverit ingenium ferventi tinctorum veneno :  
38 virtutem videant intabescantque relicta !  
39 Anne magis Siculi gemuerunt aera juvenci  
40 et magis auratis pendens laquearibus ensis  
41 purpureas subter cervices terruit, "Imus,  
42 imus praecipites" quam si sibi dicat et intus  
43 palleat infelix quod proxima nesciat uxor.  
44 Saepe oculos, memini, tangebam parvus olivo,  
45 grandia si nollem morituri verba Catoni  
46 dicere non sano multum laudanda magistro,  
47 quae pater adductis sudans audiret amicis.  
48 Jure etenim id summum, quid dexter senio ferret,  
49 scire erat in voto, damnosa canicula quantum  
50 raderet, angustae collo non fallier orcae,  
51 neu quis callidior buxum torquere flagello.  
52 Haut tibi inexpertum curvos deprendere mores  
53 quaeque docet sapiens bracteis inlita Medis  
54 porticus, insomnis quibus et detonsa juvenus  
55 invigilat siliquis et grandi pasta polenta,  
56 et tibi, quae Samios diduxit littera ramos,  
57 surgentem dextro monstravit limite callem ;  
58 stertis adhuc laxumque caput conpage soluta  
59 oscitat hesternum dissutis undique malis.  
60 Est aliquid quo tendis et in quod derigis arcum,  
61 an passim sequeris corvos testaque lutoque

62 securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis ?  
63 Elleborum frustra, cum jam cutis aegra tumebit,  
64 poscentis videas ; venienti occurrere morbo  
65 et quid opus Cratero magnos promittere montis ?  
66 Discite et, o miseri, causas cognoscite rerum :  
67 quid sumus et quidnam victuri gignimur, ordo  
68 quis datus aut metae qua mollis flexus et unde,  
69 quis modus argento, quid fas optare, quid asper  
70 utile nummus habet, patriae carisque propinquis  
71 quantum elargiri deceat, quem te deus esse  
72 jussit et humana qua parte locatus es in re ?  
73 Disce nec invideas quod multa fidelia putet  
74 in locuplete penu defensis pinguibus Umbris  
75 et piper et pernae, Marsi monumenta cluentis,  
76 maenaeque quod prima nondum defecerit orca.  
77 Hic aliquis de gente hircosa centurionum  
78 dicat : "Quod sapio, satis est mihi ; non ego curo  
79 esse quod Arcesilas aerumnosique Solones  
80 obstipo capite et figentes lumine terram,  
81 murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt  
82 atque exporrecto trutinantur verba labello,  
83 aegroti veteris meditantibus somnia, gigni  
84 de nihilo nihilum, in nihilum nil posse reverti.  
85 Hoc est quod palles ? Cur quis non prandeat hoc est ? "  
86 His populus ridet multumque torosa juvenus  
87 ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.  
88 "Inspice, nescio quid trepidat mihi pectus et aegris  
89 faucibus exsuperat gravis halitus, inspice sodes"  
90 qui dicit medico, jussus requiescere, postquam  
91 tertia conpositas vidit nox currere venas,  
92 de majore domo modice sitiante lagoena  
93 lenia loturo sibi Surrentina rogabit.  
94 "Heus bone, tu palles." - "Nihil est." - "Videas tamen istuc,  
95 quidquid id est; surgit tacite tibi lutea pellis."  
96 - "At tu deterius palles ; ne sis mihi tutor ;  
97 jam pridem hunc sepeli : tu restas ! " - "Perge, tacebo."  
98 Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur,  
99 gutture sulphureas lente exhalante mefites ;  
100 sed tremor inter vina subit calidumque trientem  
101 excutit e manibus, dentes crepuere relecti,  
102 uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.  
103 Hinc tuba, candelae, tandemque beatulus alto  
104 conpositus lecto crassisque lutatus amomis  
105 in portam rigidas calces extendit : at illum  
106 hesterni capite induto subiere Quirites.  
107 Tange miser venas et pone in pectore dextram -  
108 nil calet hic - summosque pedes attinge manusque, -  
109 non frigent. - Visa est si forte pecunia sive  
110 candida vicini subrisit molle puella,  
111 cor tibi rite salit ? Positum est algente catino  
112 durum holus et populi cribro decussa farina ;  
113 temptemus fauces : tenero latet ulcus in ore  
114 putre quod haut deceat plebeia radere beta.  
115 Alges, cum excussit membris timor albus aristas ;  
116 nunc face supposita fervescit sanguis et ira  
117 scintillant oculi, dicisque facisque quod ipse  
118 non sani esse hominis non sanus juret Orestes.

## CONTRE LA PRESOMPTION DES GRANDS

P\_4 v.1 "Rem populi tractas" - barbatum haec crede magistrum  
 2 dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae -  
 3 "Quo fretus ? Dic hoc, magni pupille Pericli.  
 4 Scilicet ingenium et rerum prudentia velox  
 5 ante pilos venit, dicenda tacendave calles ;  
 6 ergo, ubi commota fervet plebecula bile,  
 7 fert animus calidae fecisse silentia turbae  
 8 majestate manus ; quid deinde loquere ? "Quirites,  
 9 hoc, puta, non justum est, illud male, rectius illud."  
 10 Scis etenim justum gemina suspendere lance  
 11 ancipitis librae, rectum discernis, ubi inter  
 12 curva subit vel cum fallit pede regula varo,  
 13 et potis es nigrum vitio praefigere theta ?  
 14 Quin tu igitur, summa nequiquam pelle decorus,  
 15 ante diem blando caudam jactare popello  
 16 desinis, Anticyras melior sorbere meracas ?  
 17 Quae tibi summa boni est ? Uncta vixisse patella  
 18 semper et adsiduo curata cuticula sole ?  
 19 Expecta, haut aliud respondeat haec anus. I nunc,  
 20 "Dinomaches ego sum" suffla, "sum candidus." Esto,  
 21 dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,  
 22 cum bene discincto cantaverit ocima verna.  
 23 Ut nemo in sese temptat descendere, nemo,  
 24 sed praecedenti spectatur mantica tergo !  
 25 Quaesieris : "Nostin Vettidi praedia ? " - "Cujus ? "  
 26 - "Dives arat Curibus quantum non miluus errat."  
 27 - "Hunc ais, hunc dis iratis genioque sinistro,  
 28 qui, quandoque jugum pertusa ad compita figit,  
 29 seriolae veterem metuens deradere limum  
 30 ingemit : "Hoc bene sit", tunicatum cum sale mordens  
 31 caepe et, farratam pueris plaudentibus ollam,  
 32 pannosam faecem morientis sorbet aceti ? "  
 33 At si unctus cesses et figas in cute solem,  
 34 est prope te ignotus, cubito qui tangat et acre  
 35 despuat : "Hi mores, penemque arcanaque lumbi  
 36 runcantem populo marcentis pandere vulvas !  
 37 Tunc cum maxillis balanatum gausape pectas,  
 38 inguinibus quare detonsus gurgulio extat ?  
 39 Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant  
 40 elixasque nates labefactent forcipe adunca,  
 41 non tamen ista filix ullo mansuescit aratro."  
 42 Caedimus inque vicem praebemus crura sagittis ;  
 43 vivitur hoc pacto, sic novimus. Ilia subter  
 44 caecum vulnus habes, sed lato balteus auro  
 45 praetegit. Ut mavis, da verba et decipe nervos,  
 46 si potes. "Egregium cum me vicinia dicat,  
 47 non credam ? " Viso si palles, inprobe, nummo,  
 48 si facis in penem quidquid tibi venit, amarum  
 49 si puteal multa cautus vibice flagellas,  
 50 nequiquam populo bibulas donaveris aures.  
 51 Respue quod non es, tollat sua munera cerdo ;  
 52 tecum habita : noris quam sit tibi curta supellex.

## SUR LA VRAIE LIBERTE

P\_5 v.1 Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,  
 2 centum ora et linguas optare in carmina centum,  
 3 fabula seu maesto ponatur hianda tragoedo,  
 4 vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.  
 5 "Quorsum haec aut quantas robusti carminis offas  
 6 ingeris, ut par sit centeno gutture niti ?  
 7 Grande locuturi nebulas Helicone legunto,  
 8 si quibus aut Procnes aut si quibus olla Thyestae  
 9 fervebit saepe insulso cenanda Glyconi.  
 10 Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,  
 11 folle premis ventos nec clauso murmure raucus  
 12 nescio quid tecum grave cornicaris inepte  
 13 nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.  
 14 Verba togae sequeris junctura callidus acri.  
 15 Ore teres modico, pallentis radere mores  
 16 doctus et ingenuo culpam defigere ludo.  
 17 Hinc trahe quae dicis mensasque relinque Mycenis  
 18 cum capite et pedibus plebeiaque prandia noris."  
 19 Non equidem hoc studeo, pullatis ut mihi nugis  
 20 pagina turgescat dare pondus idonea fumo.  
 21 Secrete loquimur. Tibi nunc hortante Camena  
 22 excutienda damus praecordia, quantaque nostrae  
 23 pars tua sit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,  
 24 ostendisse juvat. Pulsa dinoscere cautus  
 25 quid solidum crepet et pictae tectoria linguae.  
 26 His ego centenas ausim deposcere fauces,  
 27 ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,  
 28 voce traham pura, totumque hoc verba resignent,  
 29 quod latet arcana non enarrabile fibra.  
 30 Cum primum pavido custos mihi purpura cessit  
 31 bullaque subcinctis Laribus donata pependit,  
 32 cum blandi comites totaque inpune Subura  
 33 permisit sparsisse oculos jam candidus umbo  
 34 cumque iter ambiguum est et vitae nescius error  
 35 deducit trepidas ramosa in compita mentes,  
 36 me tibi supposui ; teneros tu suscipis annos  
 37 Socratico, Cornute, sinu. Tum fallere sollers  
 38 adposita intortos extendit regula mores  
 39 et premitur ratione animus vincique laborat  
 40 artificemque tuo ducit sub pollice vultum.  
 41 Tecum etenim longos memini consumere soles  
 42 et tecum primas epulis decerpere noctes.  
 43 Unum opus et requiem pariter disponimus ambo  
 44 atque verecunda laxamus seria mensa.  
 45 Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo  
 46 consentire dies et ab uno sidere duci :  
 47 nostra vel aequali suspendit tempora Libra  
 48 parca tenax veri, seu nata fidelibus hora  
 49 dividit in Geminos concordia fata duorum  
 50 Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una :  
 51 nescio quod certe est quod me tibi temperat astrum.  
 52 Mille hominum species et rerum discolor usus ;  
 53 velle suum cuique est nec voto vivitur uno.

54 Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti  
55 rugosum piper et pallentis grana cumini,  
56 hic satur inriguo mavult turgescere somno,  
57 hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille  
58 in venerem putris ; sed cum lapidosa cheragra  
59 fregerit articulos veteris ramalia fagi,  
60 tunc crassos transisse dies lucemque palustrem  
61 et sibi jam seri vitam ingemuere relictam.  
62 At te nocturnis juvat inpallescere chartis :  
63 cultor enim juvenum, purgatas inseris aures  
64 fruge Cleanthea. Petite hinc, puerique senesque  
65 finem animo certum miserisque viatica canis.  
66 "Cras hoc fiet." Idem cras fiet. "Quid ? Quasi magnum  
67 nempe diem donas ! " Sed cum lux altera venit,  
68 jam cras hesternum consumpsimus, ecce aliud cras  
69 egerit hos annos et semper paulum erit ultra ;  
70 nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno  
71 vertentem sese frustra sectabere canthum,  
72 cum rota posterior curras et in axe secundo.  
73 Libertate opus est ; non hac : "Ut quisque Velina  
74 Publius emeruit, scabiosum tesserula far  
75 possidet." Heu ! steriles veri, quibus una Quiritem  
76 vertigo facit. Hic Dama est non tresis agaso  
77 vappa lippus et in tenui farragine mendax ;  
78 verterit hunc dominus, momento turbinis exit  
79 Marcus Dama ; papae ! Marco spondente recusas  
80 credere tu nummos ? Marco sub iudice palles ?  
81 Marcus dixit, ita est. Adsigna, Marce, tabellas.  
82 "Haec mera libertas, hoc nobis pillea donant.  
83 An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam  
84 cui licet ut voluit ? Licet ut volo vivere : non sum  
85 liberior Bruto ? " Mendose colligis, inquit  
86 stoicus hic aurem mordaci lotus aceto :  
87 hoc reliquum accipio, "licet" illud et "ut volo" tolle.  
88 "Vindicta postquam meus a praetore recessi,  
89 cur mihi non liceat, jussit quodcumque voluntas,  
90 excepto siquid Masuri rubrica vetabit ? "  
91 Disce, sed ira cadat naso rugosaque sanna,  
92 dum veteres avias tibi de pulmone revello :  
93 Non praetoris erat stultis dare tenuia rerum  
94 officia atque usum rapidae permittere vitae ;  
95 sambucam citius caloni aptaveris alto.  
96 Stat contra ratio et secretam garrit in aurem  
97 ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.  
98 Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,  
99 ut teneat vetitos inscitia debilis actus.  
100 Diluis elleborum certo conpescere puncto  
101 nescius examen : vetat hoc natura medendi.  
102 Navem si poscat sibi peronatus arator  
103 luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse  
104 frontem de rebus. Tibi recto vivere talo  
105 ars dedit et veris speciem dinoscere calles,  
106 nequa subaerato mendosum tinniat auro,  
107 quaeque sequenda forent quaeque evitanda vicissim,  
108 illa prius creta, mox haec carbone notasti  
109 et, modicus voti, presso lare, dulcis amicis  
110 jam nunc adstringas, jam nunc granaria laxes  
111 inque luto fixum possis transcendere nummum

112 nec gluttu sorbere salivam Mercurialem ?  
 113 "Haec mea sunt, teneo" cum vere dixeris, esto  
 114 liberque ac sapiens praetoribus ac Jove dextro ;  
 115 sin tu, cum fueris nostrae paulo ante farinae,  
 116 pelliculam veterem retines et fronte politus  
 117 astutam vapido servas in pectore volpem,  
 118 quae dederam supra relego funemque reduco ;  
 119 nil tibi concessit ratio ; digitum exere, peccas.  
 120 Et quid tam parvum est ? Sed nullo ture litabis  
 121 haereat in stultis brevis ut semuncia recti.  
 122 Haec miscere nefas nec, cum sis cetera fossor,  
 123 tris tantum ad numeros Satyrum moveare Bathylli.  
 124 "Liber ego." Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus ?  
 125 An dominum ignoras nisi quem vindicta relaxat ?  
 126 "I, Puer, et strigiles Crispini ad balnea defer"  
 127 si increpuit, cessas nugator ; servitium acre  
 128 te nihil inpellit nec quicquam extrinsecus intrat,  
 129 quod nervos agitet ; sed si intus et in jecore aegro  
 130 nascuntur domini, qui tu inpunitior exis  
 131 atque hic, quem ad strigilis scutica et metus egit erilis ?  
 132 Mane piger stertis. "Surge" inquit Avaritia "heia !  
 133 surge." Negas ; instat : "Surge" inquit. "Non queo." - "Surge."  
 134 - Et quid agam ? " - "Rogat ! En saperdas advehe Ponto,  
 135 castoreum, stuppas, hebenum, tus, lubrica Coa ;  
 136 tolle recens primus piper et sitiante camelo ;  
 137 verte aliquid, jura." - "Sed Juppiter audiat." - "Eheu,  
 138 baro, regustatum digito terebrare salinum  
 139 contentus perages, si vivere cum Jove tendis."  
 140 Jam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas.  
 141 Ocius ad navem. Nihil obstat, quin trabe vasta  
 142 Aegaeum rapias, ni sollers Luxuria ante  
 143 seductum moneat : "Quo deinde, insane, ruis? Quo ?  
 144 Quid tibi vis ? Calido sub pectore mascula bilis  
 145 intumuit, quam non extinxerit urna cicutae ?  
 146 Tu mare transilias ? Tibi torta cannabe fulto  
 147 cena sit in transtro Veientanumque rubellum  
 148 exhalet vapida laesum pice sessilis obba ?  
 149 Quid petis ? Ut nummi, quos hic quincunce modesto  
 150 nutrieras, peragant avidos sudore deunces ?  
 151 Indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est  
 152 quod vivis, cinis et manes et fabula fies ;  
 153 vive memor leti, fugit hora, hoc quod loquor inde est."  
 154 En quid agis ? Duplici in diversum scinderis hamo.  
 155 Huncine an hunc sequeris ? Subeas alternus oportet  
 156 ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.  
 157 Nec tu, cum obstiteris semel instantique negaris  
 158 parere imperio, "Rupi jam vincula" dicas ;  
 159 nam et luctata canis nodum abripit, at tamen illi,  
 160 cum fugit, a collo trahitur pars longa catenae.  
 161 "Dave, cito, hoc credas jubeo, finire dolores  
 162 praeteritos meditor", crudum Chaerestratus unguem  
 163 adrodens ait haec, "An siccis dedecus obstem  
 164 cognatis ? An rem patriam rumore sinistro  
 165 limen ad obscenum frangam, dum Chrysidis udas  
 166 ebrius ante fores extincta cum face canto ? "  
 167 - "Euge, puer, sapias, dis depellentibus agnam  
 168 percute." - "Sed censen, plorabit, Dave, relicta ? "  
 169 - "Nugaris, solea, puer, objurgabere rubra.

170 Ne trepidare velis atque artos rodere casses  
 171 nunc ferus et violens, at, si vocet, haut mora dicas :  
 172 "Quidnam igitur faciam ? Nec nunc, cum arcessat et ultro  
 173 supplicet, accedam ? " Si totus et integer illinc  
 174 exieras, nec nunc." Hic hic quod quaerimus, hic est,  
 175 non in festuca, lictor quam jactat ineptus.  
 176 Jus habet ille sui, palpo quem ducit hiantem  
 177 cretata Ambitio ? "Vigila et ciceringere large  
 178 rixanti populo, nostra ut Floralia possint  
 179 aprici meminisse senes." Quid pulchrius ? At cum  
 180 Herodis venere dies unctaque fenestra  
 181 dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae  
 182 portantes violas rubrumque amplexa catinum  
 183 cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino,  
 184 labra moves tacitus recutitaque sabbata palles.  
 185 Tum nigri lemures ovoque pericula rupto ;  
 186 tum grandes Galli et cum sistro lusca sacerdos  
 187 incussere deos inflantis corpora, si non  
 188 praedictum ter mane caput gustaveris ali.  
 189 Dixeris haec inter varicosos centuriones,  
 190 continuo crassum ridet Pulfenius ingens  
 191 et centum Graecos curto centusse licetur.

#### CONTRE LES AVARES

P\_6 v.1 Admovit jam bruma foco te, Basse, Sabino ?  
 2 Jamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordae,  
 3 mire opifex numeris veterum primordia rerum  
 4 atque marem strepitum fidis intendisse Latinae,  
 5 mox juvenes agitare jocos et pollice honesto  
 6 egregius lusisse senex ? Mihi nunc Ligus ora  
 7 intepet hibernatque meum mare, qua latus ingens  
 8 dant scopuli et multa litus se valle receptat.  
 9 Lunai portum, est operae, cognoscite, cives,  
 10 cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse  
 11 Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo ;  
 12 hic ego securus volgi et quid praeparet Auster  
 13 infelix pecori, securus et angulus ille  
 14 vicini nostro quia pinguior, etsi adeo omnes  
 15 ditescant orti pejoribus, usque recusem  
 16 curvus ob id minui senio aut cenare sine uncto  
 17 et signum in vapida naso tetigisse lagoena.  
 18 Discrepet his alius. Geminos, horoscope, varo  
 19 producis genio : solis natalibus est qui  
 20 tinguat holus siccum muria vafer in calice empta,  
 21 ipse sacrum inrorans patinae piper ; hic bona dente  
 22 grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar,  
 23 nec rhombos ideo libertis ponere lautus  
 24 nec tenuis sollers turdarum nosse salivas.  
 25 Messe tenus propria vive et granaria, fas est,  
 26 emole. Quid metuas ? Occa et seges altera in herba est.  
 27 At vocat officium, trabe rupta Bruttia saxa  
 28 prendit amicus inops remque omnem surdaque vota  
 29 condidit Ionio, jacet ipse in litore et una  
 30 ingentes de puppe dei jamque obvia mergis  
 31 costa ratis lacerae : nunc et de caespite vivo

32 frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret  
 33 caerulea in tabula. Sed cenam funeris heres  
 34 negleget iratus quod rem curtaveris ; urnae  
 35 ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum  
 36 seu ceraso peccent casiae nescire paratus :  
 37 "Tune bona incolumis minuas ? " Et Bestius urguet  
 38 doctores Graios : "Ita fit ; postquam sapere urbi  
 39 cum pipere et palmis venit nostrum hoc maris expers,  
 40 fenisecae crasso vitiarunt unguine pultes."  
 41 Haec cinere ulterior metuas ? At tu, meus heres  
 42 quisquis eris, paulum a turba seductior audi :  
 43 O bone, num ignoras ? Missa est a Caesare laurus  
 44 insignem ob cladem Germanae pubis et aris  
 45 frigidus excutitur cinis ac jam postibus arma,  
 46 jam chlamydas regum, jam lutea gausapa captis  
 47 essedaque ingentesque locat Caesonia Rhenos.  
 48 Dis igitur genioque ducis centum paria ob res  
 49 egregie gestas induco. Quis vetat ? Aude.  
 50 Vae, nisi conives. Oleum artocreasque popello  
 51 largior. An prohibes ? Dic clare. "Non adeo", inquis,  
 52 "exossatus ager." Juxta est ; age, si mihi nulla  
 53 jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis  
 54 nulla manet patruis, sterilis matertera vixit  
 55 deque avia nihilum superest, accedo Bovillas  
 56 clivumque ad Virbi : praesto est mihi Manius heres ;  
 57 "Progenies terrae ? " Quaere ex me quis mihi quartus  
 58 sit pater : haut prompte, dicam tamen ; adde etiam unum,  
 59 unum etiam ; terrae est jam filius et mihi ritu  
 60 Manius hic generis prope major avunculus extat.  
 61 Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis ?  
 62 Sum tibi Mercurius, venio deus huc ego ut ille  
 63 pingitur. An renuis ? Vis tu gaudere relictis ?  
 64 "Dest aliquid summae." Minui mihi, sed tibi totum est,  
 65 quidquid id est. Ubi sit, fuge quaerere, quod mihi quondam  
 66 legarat Tadius, neu dicta : "Pone paterna,  
 67 fenoris accedat merces, hinc exime sumptus ;  
 68 quid relicum est ? " Relicum ? Nunc nunc inpensius ungue,  
 69 ungue, puer, caules. Mihi festa luce coquatur  
 70 urtica et fissa fumosum sinciput aure,  
 71 ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,  
 72 cum morosa vago singultiet inguine vena,  
 73 patriciae inmeiat volvae ? Mihi trama figurae  
 74 sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter ?  
 75 Vende animam lucro, mercare atque excute sollers  
 76 omne latum mundi, ne sit praestantior alter  
 77 Cappadocas rigida pinguis plausisse catasta,  
 78 rem duplica ; "Feci ; jam triplex, jam mihi quarto,  
 79 jam decies redit in rugam; depunge ubi sistam."  
 80 Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi ?

\*\*\*\*\*

## PERSE

## CHOLIAMBES (16 vers)

P_7	v.1	Nec fonte labra prolui caballino
	2	nec in bicipiti somniasse Parnaso
	3	memini, ut repente sic poeta prodirem.

4 Heliconidasque pallidamque Pirenen  
5 illis remitto quorum imagines lambunt  
6 hederæ sequaces ; ipse semipaganus  
7 ad sacra vatū carmen adfero nostrum.  
8 Quis expedit psittaco suū "Chaere"  
9 picasque docuit nostra verba conari ?  
10 Magister artis ingenique largitor  
11 venter, negatas artifex sequi voces ;  
12 quod si dolosi spes refulserit nummi,  
13 corvos poetas et poetridas picas  
14 cantare credas Pegaseium nectar.